HOMERI LOCUS IN ILIAD. IX. 230. CORRECTUS.

Multo etiam antiquius mendum quam quod in Actis Apostolorum indicavimus deturpat locum Homeri in Iliados libro IX. vs. 230, ubi Ulysses Achillem obsecrat ut Achivis de salute dimicantibus ferat opem et ita dicit:

ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν ἢ ἀπολέσθαι
νῆας ἐϋσσέλμους εἰ μὴ σύγε δύσεαι ἀλκήν.

Absurdum est *σαωσέμεν*. Potestne Graece dici *σῶσαι* pro *σωθῆναι*? Non potest. Minus etiam futurum *σώσειν* vel epica forma *σαωσέμεν* eo sensu usurpari potuit. Quid Poëta dicere debuerit ex ipsa loci natura et necessaria oppositione satis est manifestum. Videamus igitur an reperire possimus quid dixerit. Opponuntur inter se *ἀπολλύναι* et *σώζειν*, *ἀπολέσθαι* et *σωθῆναι*, *ὄλεθρος* et *σωτηρία*, et in aliis multis et imprimis in bello et in iudicio capitali. Pro *σωθῆναι* Attice dicitur *σῶς εἶναι*, et passim *σῶς ἐςίν* et *ἀπόλωλεν* inter se contraria ponuntur. In lingua Homerica et *σῶς* et *σόος* usitata sunt, ut in notis verbis:

νῦν μοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος.

et in Odyss. Π. 131:

εἶφ' ὅτι οἱ σῶς εἰμὶ καὶ ἐκ Πύλου εἰλήλουθα.

et alibi. Saepius *σόος* recurrit et foemininum *σόη* Iliad. O. 497:

ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω.

et neutrum *σόα* Iliad. Ω. 382. et Odyss. N. 364:

ἵναπερ τάδε μοι σόα μίμνοι.

Itaque apud Homerum inter se opponuntur *σόον ἔμμεναι* et *ἀπολέσθαι*, ut in notissimo versu:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

et in Odyss. Δ. 98:

ὤφελον οἱ ἄνδρες σόοι ἔμμεναι οἳ τότ' ὄλοντο.

et in Iliad. E. 531:

αἰδομένων ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.

Viden quid Poëta dederit? Nempe:

ἐν δοιῇ δὲ σ ό α ς ἔ μ ε ν ἢ ἀπολέσθαι.

Antiqua scriptura COACEMEN duabus litterulis transpositis abierat in CAOCEMEN (ut vetere more scribebatur pro CAΩCEMEN), quam quum solam in suis libris Critici Alexandrini reperissent inemendatam reliquerunt.

C. G. C.

EMENDATUR LOCUS XENOPHONTIS IN HELLEN. VI. 5. 39.

Quod Homero reddidimus vocabulum idem Xenophonti reddendum est in Hellen. VI. 5. 39. Procles Phliasius ad Athenienses orationem habet, cuius haec summa est: *Ferte opem sine mora Lacedaemoniis ne a Thebanis opprimantur et vos sero poeniteat quum soli Thebanorum impetum sustinere debebitis.* συμφορώτερόν γε μέντἂν (inquit) ὑμῖν αὐτοῖς βοηθήσαιτε ἐν ᾧ ἔτι εἰσὶν οἳ συμμαχοῖεν ἂν ἢ εἰ ἀπολομένων αὐτῶν μόνοι ἀναγκάζοισθε διαμάχεσθαι πρὸς τοὺς Θηβαίους. Mendosa haec oratio est et male Graeca. Scilicet vetus librorum mendum nunc infelici Stephani coniectura occultatum magis est quam correctum. In libris est: ἐν ᾧ ἔτι εἰσὶν οἱ σύμμαχοι ἄν, ubi duae litterulae perierunt, totidem vitiose abundant. Stephanus supposuit οἳ συμμαχοῖεν ἄν, quam infelicem correctionem calidius in textum Dindorfius recepit. Aliud quid latet quod proferam ubi prius vulgatae scripturae difficultates ostendero. Non dicitur Graece εἰσὶν οἳ συμμαχοῖεν ἄν (quod Latinum magis est quam Graecum), sed εἰσὶν οἱ συμμαχήσοντες. Praeterea ἔτι εἶναι et οὐκέτ' εἶναι numquam ponuntur pro σωθῆναι et ἀπολέσθαι, sed pro περιεῖναι et οὐκέτι περιεῖναι. Qui in Attica ita dicit:

οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.

hoc dicit: alios diem suum obiisse, fato functos esse, non esse superstites, alios superesse quidem sed nullius pretii esse. Aliud est autem οὐκέτ' εἶναι, οὐκέτι ζῆν, ἤδη τεθνάναι, aliud ἀπολέσθαι. Opponuntur inter se apud omnes Graecos ἀπολέσθαι (ἀπολωλέναι) et σῶς εἶναι, sed formae Atticae ad-